

Summa recreatorum

kniha 1, kap. 2.2.1

Sequitur secundo de vino et eius natura, de quo primo queritur, utrum expediat semel inebriari in mense, ut dicit Avicenna in *Canticis et Rasis*.¹ Dicendum secundum Commentatorem super *Cantica Avicenne*, quod ascensus ebrietatis semel in mense est erroneus, quia licet vinum secundum Galienum sit ex magis convenientibus calori naturali et sit respectu eius in gradu illo, in quo est, sicut oleum ad lumen et ignem. Tamen sicut multum et superfluum oleum extinguit ignem et lumen, sic multum vinum extinguit calorem naturalem. Licet ergo vinum lymphatum sit ex magis convenientibus calori naturali, est tamen ex magis nocentibus calori sensibili et animali et originis eius, scilicet cerebro et nervis. Quare, ut dicit idem Galienus, aqua mellis est utilior vino eis, qui habent naturaliter debiles nervos.²

kniha 1, kap. 1.28

Vicesimo octavo queritur, quare stomachus humidus possit ferre multum potum.³ Dicendum, quod stomachus humidus contrario modo se habet stomacho sicco. Est enim mollis distensionis ad modum utris remolliti, et ideo est maioris capacitatis. Et quia distenditur ad distensionem sumptorum potuum, ideo sicut uter mollis est maioris capacitatis quam siccus, ita et stomachus, quia vero est humidus non habens siccitatem inducentem sitim, ideo non multum appetit potum, sed unde multum recipit et non gravatur sicut siccus. Quare Daci, Frisones et Anglici multum bibunt propter capacitatem stomachi a mollicie humiditatis, Hispani vero et alii in calidis regionibus multum siciunt et parum sumunt de potu propter oris stomachi siccitatem, quia in hiis stomachus parvam habet capacitatem propter siccitatem.⁴

kniha 2, kap. 2

Secundum capitulum est de vino. Vinum enim, ut dicit Ysaac De dietis libro III^o, bonum nutrimentum dat corpori, sanitatem reddit et custodit nec ullus cibus vel potus invenitur adeo caloris naturalis confortativus propter familiaritatis consorcium. Eius natura digestionem adiuvat et eius calor similis est calori naturali et cito convertitur in purum et naturalem sanguinem. Turbidum sanguinem clarificat et aditus tocius corporis, precipue venarum, aperit et mundificat, epatis opilacionem aufert, tenebrosam fumositatem tristicie generativam a corde expellit, tocius corporis menbra corroborat, eciam animam oblivisci facit mesticiam et angustiam datque sibi leticiam et audaciam et ingenium subtiliat. Igitur conveniens est omnibus etatibus, omnibus temporibus, omnibus regionibus, si tamen sumptum fuerit secundum consuetudinem et vini et bibentis et quantum natura ferre potest. Palam ergo est, quod vinum est bonum omnibus hominibus, si secundum quod oportet, accipiatur. Et ideo antiqui assimilaverunt vinum tyriace magne, quia habet vim nature iuvativam. Calefacit enim corpora frigida et infrigidat calida, humectat sicca, extenuat humida, multociens eciam sitis ab eo plus quam per aquam extinguitur.⁵

Unde *Rasis*, ubi supra libro III^o: Vinum generaliter epar et stomachum calefacit et nutrimentum penetrare facit, sanguinem quoque et carnes ac innatum calorem augmentat, totam naturam in suis propriis accionibus adiuvat, per ipsum eciam fit digestiva forcior et superfluitatum expulsio ac earum egressio facilior. Sanitas eciam et fortitudo diucius durant per

¹ *Avicenna Cant. II, 1, 34, Rhazes Alman. 4, 5.*

² *Cant. cum comm. Averrois, II, 1, 34, apud Galenum non inveni.*

³ Cf. *Galenus Ars med. 2, 5, 2.*

⁴ *Q. t. Petrus Hispanus med. Tegni, 81v^b.*

⁵ *Isaac De diaet. univ. et part. 2, 5, de vino, f. 151r^b - f. 151v^a, 572; SN 14, 113.*

ipsum et retardatur senium, animum preterea vinum letificat. Sed si superflue sumatur, epati, cerebro et nervis nocet tremoremque, spasmum, apoplexiam ac mortem subitanam generat.⁶

kniha 2, kap. 11.15.2

Secunda particula est de petrosilino, quod secundum Ysaac est calidum et siccum in fine tercii gradus, cuius virtus est diuretica, provocans urinam et menstrua, ventositatem dissolvit, dolorem renum et vesice lenit, poros corporis aperit, ventositatem colice passionis dissolvit, sudorem provocat, epar mundificat.⁷

kniha 3, kap. 1.4

Dum manducatis, mensa recte sedeatis.

Dum manducatis, murmur, rixas fugiatis.

Dum manducatis, bene masticando teratis.

Dum manducatis, modicum, bene, crebro bibatis.

Dum manducatis, sal cultro suscipiatis.

Dum manducatis, inopi dare quid studeatis.

Dum manducatis, dapibus non probra feratis.

Dum manducatis, non depositum capiatis.

Dum manducatis, sputo tunc abstinenceatis.

Dum manducatis, nares non mappa teratis.

Dum manducatis, cultrum non ferte palatis.

Dum manducatis, numquam vel raro canatis.

⁶ Rhazes Alman. 3, 5; cf. SN 14, 113.

⁷ Isaac De diaet. univ. et part. 2, 3, de petrosilino, f. 126^r^b; SN 10, 115.